

pore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Anastasi PP. & S. R. E. Card. subseriptores.

- EGO ANASTASIUS Cat. Eccl. Episc. Ego Ugo Ostien. Episc. Ego Guarinus Prænestin. Eccl. Episc. Ego Jacobus Card. S. Calixti. Ego . . . Presb. Card. . . . Ego Ubaldu Presb. Card. S. Praxedis. Ego Julius Presb. Card. tit. S. Marcelli. Ego Octavianus Presb. Card. S. Cecilie. Ego Astaldu Presb. Card. tit. S. Priscæ. Ego Joannes Presb. Card. SS. Joannis & Pauli. Ego Cencius Presb. Card. SS. Nerei & Achillei. Ego . . . Diac. Card. S. Georgii. Ego Jacintus Diac. Card. S. Mariæ in Cosmedin. Ego Joannes Diac. Card. S. Sergii & Bacchi.

Dat. die 22. Septembris anno Domini 1153. Pontificatus vero Domini Anastasii IV. anno I.

Datum Laterani per manus Rolandi S. R. E. Presbyt. Card. & Cancellarii, X. Kal. Octob. Indiæ. I. Incarnationis Dominicæ anno MCLIII. Pontificatus vero Domini Anastasii IV. anno I.

III.

Privilegium immunitatis, omnimodæque exemptionis Monasterii S. Anthimi montis Ilcini, rerumque omnium ad illud pertinentium, confirmatio.

Ex autographo edidit Ughell. Ital. Sac. Tom. I.

Anastasi Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecti filio Guidoni Abbati Monasterii S. Anthimi, ejusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum.

Exordium.

CUM omnibus Ecclesiis, & ecclesiasticis personis debitores ex injuncto nobis a Deo Apostolatus officio existamus; illis tamen propensiori studio nos convenit imminere, quæ ex antiqua institutione ad jus, & proprietatem B. Petri spectare noscuntur. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & prædecessoris nostri felicitis memoriæ Papæ Innocentii vestigiis inherentes, Monasterium B. Anthimi, cui Deo authore præesse dignosceris, Apostolicæ Sedis privilegio præsentis scripti paginâ communimus; Statuentes, ut quæcumque bona, quascumque possessiones impresentiarum idem Monasterium justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, procurante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata servantur. Ut autem juxta normam vestræ professionis divinis obsequiis liberius vacare possitis, simili modo sancimus, ut cujuslibet Ecclesiæ Sacerdoti nullam jurisdictionem, nullam potestatem, aut auctoritatem, excepto dumtaxat Romano Pontifice, in vestro Monasterio liceat vindicare; adeo quidem, ut nisi ab Abbate ejusdem Mona-

Illud liberum ab omni Episcopali jurisdictione, solique Rom. Pontifici, subjectionem declarat.

Confirmat eadem jura omnia, ac bona.

sterii fuerit invitatus, nec etiam Missarum solemniam ibidem audeat celebrare. Interdicimus etiam, ut nulli Episcopo licentia pateat, Sacerdotes ejusdem Cœnobii Monachos sive Canonicos distringere, vel excommunicare, aut divinum eis officium prohibere: Quos etiam ab omni Pontificali synodo liberos, & absolutos manere decernimus. Porro locum ipsum ab omni jugo quarumlibet potestatum, tam Episcoporum, quàm Marchionum, Comitum quoque, & Vicecomitum, Castaldionum, ceterorumque Longobardorum omnium volumus esse quietum; nullusque eorum in possessionibus, præfato Cœnobio pertinentibus, judicium aliquod, placitumve tenere, aut restrictionem facere, quolibet occasione præsumat; sed potius tam hæc quàm alia, quæ ad jus ejusdem Monasterii spectare noscuntur, in tua, & successorum tuorum libera potestate & dispositione consistant. Concedimus insuper eidem venerabili loco decimationes, atque primitias de suis omnibus, sive de præceptalibus, sive de aliis, quæ jam sunt ipsi Monasterio acquisita, seu in antea, Deo propitio, acquirenda. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, aut fratrum pars consilii favoris, secundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam præviderint eligendum: Electus autem a Romano Pontifice consecratur. Chrisma sane. Oleum sanctum, consecrationes Altarium vel Basilicarum, ordinationes etiam Presbyterorum, Diaconorum, aut aliorum, tam de Monachis, quam de Canonicis, qui ad sacros gradus fuerint promovendi, sive a Sede Apostolica, sive ab aliquo Catholico suscipietis Episcopo, qui nostra fultus auctoritate, quod possitatur, indulgeat. Et si aliquando quempiam de nostris Episcopis, sive de aliis, prout nobis congruentius visum fuerit, ad sacrum ministerium celebrandum, vel consecrationem aliquam exhibendam invitare ad vestrum Monasterium volueritis, absque alicujus contradictione id ipsum faciendi habeatis omnimodam facultatem. Ad hæc adjicientes statuimus, ut in plebe S. Salvatoris, in plebe S. Joannis, seu etiam in aliis Ecclesiis vestro Monasterio pertinentibus, si id necessitas exegerit, baptismus debeat celebrari, quemadmodum prædecessorum nostrorum Joannis XV. Joannis XIII. Benedicti, Stephani VII. Sergii, Hadriani & aliorum Romanorum Pontificum sanctionibus noscitur institutum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit, vestrum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu quibuslibet molestiis fatigare: sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur ecclesiastica secularive persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & D. Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni: Cunctis autem eidem Loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri

Exemptum ab omni seculari potestate.

Decimas omnes, aliæque onera indulget.

Abbatem electionem ad Monachos dicitur.

Consecrationem vero ad Rom. Pontificem spectare decernit.

Altarium quoque consecrationes, sacros Ordines, aliæque hujusmodi a quo libuerit recipiendi Episcopo tribuuntur facultatem.

Nonnullis Monasterio subiectis Ecclesiis baptismum fontem indulget.

Solite clausula comminatorie.

Je-

Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Dat. die 31. Octobris anno Domini 1153. Pontificatus anno I.

Dat. Romæ apud S. Mariam Rotundam, per manus Rolandi S. R. E. Presb. Card. & Cancell. II. Kal. Novemb. Incarnationis Dom. anno MCLIII. Pontif. verò Domini Anastasii Papæ IV. anno I.

IV.

Confirmatio honorum omnium, ad Arelatensem Ecclesiam spectantium, ac transactionis initæ inter Raimundum Archiepiscopum & Anfosum Comitem Tolosanum.

Ex autographo edidit Sam. marth. Gall. Christ. Tom. I. inter Instrumenta Ecclesie Arelate. tom. XVI.

Anastasi Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Raimundo Arelatensi Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum.

Arelatensem Metropolim famosam & insignem quandam fuisse, atque in Galliarum partibus, multis & dignitatis & gloriæ titulis claruisse, tam vetusta ipsius civitatis indicia, quàm authentica veterum scripturarum testimonia manifestant. Sed quia consistentis in ea populi peccata corrigere divina dispositioni complacuit, guerris undique irruentibus, tam in dignitate quàm in rebus temporalibus ipsa Metropolis est plurimum diminuta, cujus contritioni nos, qui, licet indigni, justitæ cultores atque custodes, in Ecclesia Principis Apostolorum Petri & Pauli speculâ, disponente Domino, residemus, benigno affectu compatimur, & ejus paci & dignitati salubriter, in quantum cum Deo possumus, providere optamus. Equum enim ac rationabile est, ut qui beato Petro & ejus Vicariis devotiores esse noscuntur, & sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ patrocinio cupiunt confoveri, ejusdem pie matris uberibus nutriantur, & in rationabilibus suis petitionibus exaudiantur. Quocirca, dilecte in Christo frater & Coepiscopo Raimunde, de tuis justis postulationibus clementer annuimus, & prædictam Arelatensem Ecclesiam, ad quam nimirum, sicut ex dictis beati Zozimi Papæ & martyris evidenter ostenditur, ex hac sancta Romana & Apostolica Sede Trophimus sanctus antistes, de cujus utique fidei fonte rivulus totæ Galliæ exceperunt, a beato Petro delegatus fuit, sub ipsius Apostolorum Principis & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem Ecclesia impresentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, & per vos eidem Ecclesiæ permanent; In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Monasterium sancti Casarii cum omnibus pertinentiis suis, quod idem beatus Casarius Arelatensis antistes in alodio ipsius Ecclesiæ fundasse dicitur, & de bonis ejus ditasse, ordinationem quoque atque correctionem ipsius loci; Ecclesiam beatæ Mariæ.

De Arelatensis Ecclesiæ primæ dignitate.

Bellorum calamitibus immuniatur.

Illam Anastasi PP. sub protectione Sedis Apostolicæ suscipiens.

Bona omnia usque posita confirmat.

Quorum nonnulla enumerat.

ria de Foisso cum decimis & omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam beatæ Mariæ de Castelloveteri cum decimis & aliis pertinentiis suis, castrum de Cellone, castrum de sancto Amanatio, castrum de Alvernico & de Avalone, castrum de Mornatio & de Monte-dragone, redditus de ponte sancti Genesii, Judæos, & jus quod habetis in moneta ipsius civitatis, quicquid habetis in partibus & teloneis Arelatensibus. Præterea transactionem, quæ inter te & Anfosum Tolosanum comitem rationabili providentia facta & in scripto redacta est, si rationabilem esse confiterit, auctoritate Sedis Apostolicæ roboramus. Insulam etiam, quæ Boscus-comitalis vocatur, quam prædictus comes Ecclesiæ tuæ restituit, tibi tuisque successoribus nihilominus confirmamus. Ad hæc per amplioris & specialioris generis prærogativam præsentis decreto statuimus, ut nulli profus Legato, nisi ei tantum, qui a Romani Pontificis latere fuerit delegatus, Arelatensis Provincia sit subiecta. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, &c. Amen.

Confirmat quoque Transactionem initam inter Archiepiscop. & Comitem Tolosanum.

Ecclesiamque Arelat. solis Pontificis de latere Legatis subiectam declarat.

Privilegium hujus roboratio solis clausulis.

EGO ANASTASIUS Catholica Ecclesiæ Episcopus.

Ego Imarus Tusculanensis Episcopus subscripsi.

Ego Ugo Ostien. Episc.

Ego Gregorius Presbyter Cardinalis tituli sancti Calixti.

Manfredus Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Sabina.

Guido Cardinalis tituli sancti Pastoris.

Jordanus Cardinalis sanctæ Susannæ.

Datum Laterani per manus Rolandi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis, & Cancellarii, VII. Kalendas Januarii, Indictione II. Incarnationis anno MCLIII. Pontificatus Anastasii Papæ IV. anno I.

Anastasi PP. & sex S. R. E. Card. subseriptores.

Dat. die 26. Decemb. anno Dom. 1153. Pont. an. I.

V.

Privilegium confirmationis honorum omnium, & jurium S. Massiliensis Ecclesiæ.

Anastasi Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Petro fratri Massiliensi Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum.

Ex Archiepis. hujus edidit Sam. marth. Gall. Christ. Tom. I. inter Instrumenta Ecclesie. ejusdem n. XX.

In eminenti Apostolicæ Sedis speculâ disponente Domino, constituti, fratres nostros Episcopos, tam vicinos quàm longe positos, fraterna charitate debemus diligere, & Ecclesiis, quibus Domino militare noscuntur, suam justitiam conservare. Eapropter, dilecte in Christo frater Petre Episcopo, tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus, & prædecessorum nostrorum felicitis memoriæ Innocentii, & Eugenii, Romanorum Pontificum, vestigiis inherentes,

Exordium.

Massiliensem Ecclesiam sub protectione Sedis Apostolicæ suscipit.

V v

Confirmatio
que bonis om-
nibus ad eam
dem perti-
nentibus,

tes, beate Dei genetricis Marie Massiliensem Ecclesiam, cui Deo auctore preesse dignosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quascumque bona, tam in Ecclesiis, quam in decimis, castellis, villis, & aliis eadem Ecclesia impresentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permanent: In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Monasterium sancti Salvatoris de la Sachoas, quod infra muros civitatis Massiliæ situm est; civitatem Episcopalem cum toto territorio suo, Rocambarbaram, cum vallo circumteunte Rocam ipsam, & vallis a muris eandem civitatem circumteuntibus: portum de Porta Gallica, & quicquid habes in portu antiquo, qui est inter Monasterium & civitatem, terras de Fontecooperto, Pedaticum de territorio Alaugii & Nertii; quicquid habes in portu de Banneris; quicquid habes in Leonino, castrum sancti Canati, castrum Nertii, castrum Alaugii, villam sancti Iuliani, partem quam habes in castro de Pennis, castrum de Mairanegas, castrum de Melna, castrum de Aurovenes, castrum de Balcet cum territorio & appenditiis suis, castrum Albanie. & duos rosetos pro eo in Natale Domini & in Pascha. quicquid præterea Pontius de Podionigro pro filio suo Aichardo in supradicto castro Alaugii Ecclesie tue concessit, partem tuam de castro Evenæ, podium qui castellum Guimberti vocatur. Addentes siquidem auctoritate apostolica prohibemus, ne quis in eodem podio, vel in aliis eiusdem Massiliensis Ecclesie possessionibus, absque assensu, & voluntate Massiliensis Episcopi Castrum Turrem vel Munitionem aliquam edificare præsumat. Porro translationem de causa, de qua inter te ac Gaufridum de Massilia & fratres ipsius controversia versabatur, in presentia venerabilis fratris nostri Raimundi Arelatensis Archiepiscopi & aliorum Episcoporum, utraque parte consentiente, facta est, quemadmodum in eorum scripto continetur, munimine presentis pagine roboramus, & rata futuris temporibus decernimus permanere: Ecclesiam sancti Canati, Ecclesiam de Mairanicas, & Ecclesias de Melna, cum decimis & pertinentiis earum: Ecclesias de Pennis, de Nertio, de Alaugio, sancti Iuliani, sancte Marie in villa Episcopali, sancti Martini in villa vicecomitali, cum decimis, & earum pertinentiis: sancte Marie de la Sachoas, sancti Martini de Arogno, sancti Laurentii, sancti Andreæ in territorio Massiliensi Ecclesias de Septimo, sancti Tirsi de Cula, sancti Mitri ad castrum Guimberti, & de Solobis cum decimis & earum pertinentiis, Ecclesiam sancti Michaelis in territorio Massiliensi, Ecclesias sancti Marcelli cum decimis, Ecclesias de Albania, sancti Petri ad Vincula, sancti Joannis de Gargerio, sancti Clari, sancti Pontii, sancte Marie de Gemenas, sancte Marie de Ros, sancti Joannis de Podio: in valle Tritis Ecclesiam sancti Martini de Insol. & cum decimis: In Ecclesiis de Auriol tertiam partem decimarum, in Ecclesiis sancti Zacharie VII. sol. & duos medolios de melle, Ecclesias de villariis, & Rochaforti de Chua cum decimis, Ecclesiam S. Pe-

Ratam habet
concordiam
inter
Ietrum
Episcopum
& Gaufridum
de
Massilia:

Eique indul-
get Ecclesias
omnes Antec-
cess Episcopis
subjectas.

tri & sancti Joannis de Signa de Castro veteri cum decimis, Ecclesias de Auro-venes, de Bauceto, de Castelleo, sancti Victoris in territorio de Madalgas cum decimis, Ecclesiam de Laza cum pertinentiis. Interdicimus etiam, ut nullus Abbas, nullus Monachus, vel quælibet alia persona, excommunicatos vel interdictos, qui ad Massiliensem Ecclesiam jure parochiali pertinere noscuntur, recipiat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, &c. Amen.

EGO ANASTASIUS Catholicæ Ecclesie, Episcopus.

Imarus Tusculan. Episcopus.

Ego Olfensis Episcopus.

Ego Otto Diaconus Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum, &c.

Datum Laterani per manum Rolandi S. Romanæ Ecclesie Presbyteri Cardinalis, & Cancellarii, III. Kal. Januarii. Indictione II. Incarnationis Dominicæ anno MCLIII. Pontificatus Domini Anastasii anno I.

Anastasi PP.

& S. R. E. Card. sub-
scriptiones.

Dat. die 30.
Decemb. ann.
Dom. 1153.
Pont. anno I.

V I.

Privilegium confirmationis bonorum omnium S. Fesulanæ Ecclesie, ac Privilegium, eidem a summis Romanis Pontificibus concessorum.

Anastasi Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Rodolpho Fesulano Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum.

Ex Ughell.
Ital. Sac. To.
III.

Proemium.

Officii nostri nos hortatur auctoritas, fratres nostros Episcopos debita charitate diligere, & Ecclesiis regimini eorum a Deo commissis suam justitiam conservare. Quocirca, dilecte in Christo frater & Coepiscopo Rodolpho, rationabilibus tuis postulationibus clementer annuimus, & prædecessoris nostri san. mem. Pape Eugenii vestigiis inherentes, Fesulanam Ecclesiam, cui Deo auctore preesse dignosceris, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quascumque bona, eadem Ecclesia in presenti anno iuste, & canonicè possidet, aut in futurum largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permanent: In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Monasterium sancti Barthomej, quod Fesulis positum est, Monasterium sancti Martini in Majano, Monasterium sancti Gaudentii in Pede Alpis, Monasterium sancte Marie de Rosano, plebem sancti Petri de Romæa cum decimis & possessionibus ad jus Fesulani Episcopatus pertinentibus, plebem sancti Petri de Cassia, plebem sancti Joannis de Capolia, plebem sancti Leonini in Collina, plebem sancti Martini de Vado, plebem sancte Marie de Sco, plebem sancte Marie de Spaltinna; ceteras vero tam plebes quam Ecclesias, que Fesulanæ Ecclesie juris esse noscuntur, civitatem & ar-

Fesulanam
Ecclesiam sub
protectione
Sedis Apost.
recipiat.

Ejusdem bo-
na omnia,
jurisque con-
firmat.

Quorum
nonnulla e-
numerat:

V II.

Decretum, ut Monasterium Glannafoliense sancti Mauri Antistodoren. Diocesis Apostolicæ Sedi immediate subiectum sit cum bonis suis omnibus, sub obedientia tamen Monasterii Cassinensis.

Monasterium hocce, Fossatevisibus antea subiectum, Cassinatibus subit Urbanus II. Const. Pater & Princeps &c. Dat. anno 1097.

Ex Originali
in Archiv. edi-
di Gattula.
Hiss. Cassin.
See. VI.

Anastasi Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Guilelmo Abbati Glannafoliensis Monasterii, ejusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum.

Exordium.

Quotiens illud a nobis petitur, quod rationi & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, & prædecessoris nostri felicis memorie Pape Urbani vestigiis inherentes, præfatam Monasterium, cui Deo auctore preesse dignosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quascumque bona idem Monasterium impresentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permanent; In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Ecclesiam videlicet sancti Martini de sancto Mauro, Ecclesiam sancti Gervasii & Prothasii in Bateaco cum pertinentiis suis, Ecclesiam S. Marie de Molo cum pertinentiis suis, insulam S. Mauri cum pertinentiis suis, Ecclesiam S. Marie in Dane, Ecclesiam sancti Simplicii super Ligerim, Ecclesias sancti Petri in Vodda, sancti Petri cum Villa Fabrensi, sancti Lamberti de Curalo, sancti Hilarii de Concorzo cum pertinentiis suis, & sancti Martini de Sorech, terram Aymerici de Averoi, Ecclesias sancte Juste de Verce cum pertinentiis suis, & sancte Marie de Doado, villam de Solouge cum pertinentiis suis, villam, que vocatur Gru, cum pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Veterini de Gena cum molendino & aliis pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Ciriaci in Salmossa cum decimis suis, Ecclesiam sancti Mauri in Lauduna, & Ecclesiam sancte Marie Magdalene de Varena, villam Sindremont cum pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Martini in Burno, villam ad Panes cum pertinentiis suis, & villam Lambri cum pertinentiis, insulam Blazon in Normannia, Ecclesiam sancte Marie de Cingla, Ecclesiam sancti Mauri, sitam in castro Laudena, Ecclesiam sancti Aniani, & villam Sindremont, Ecclesiam sancti Petri in Culturis. Sepulcrum quoque ejusdem loci liberam esse sancimus, ut eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni, & extreme voluntati nullus obstat: salvâ justitiâ matricis Ecclesie. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci Abate,

Monasterium
sub prote-
ctione
Sedis Apo-
stolicæ reci-
piens,

Eidem bonâ
omni com-
municat:

Sepulcrum
ibidem libe-
ram fore de-
clarat;

Solite clau-
sura.

Anastasi PP.

& S. R. E. Card. sub-
scriptiones.

Dat. die 11.
Decemb. ann.
Dom. 1153.
Pontif. anno I.

& arcem Fesulanam, castellum montis Lauri cum curte sua, castellum de Cifalo cum curte sua, castellum montis Bonelli cum curte sua, cast. Gregnanellum cum curte sua, quicquid etiam habetis in curte de Acone, & curte de Lancisa, & infra plebem de Panzano, & sancte Marie Novole, & sancti Iusti in Salice, curtem de Agna, Ecclesiam sancti Alexandri cum curte sua juxta castrum montis Carboli: Alia quoque castella, villas, & alias possessiones, sicut in privilegio prædecessoris nostri bonæ memorie Pape Innocentii nominatim vobis confirmata sunt. Ordinationes etiam prædictorum Monasteriorum, & baptismalium Ecclesiarum, que Fesulanæ Ecclesie subdita sunt, nullas absque vestro assensu sibi usurpare præsumat; in capellis autem vestrarum plebium liberam ordinationem, & debitam obedientiam absque alicujus contradictione plebani habeant, sicut per privilegium fel. mem. Paschalis Pape eis concessum est: salvâ proprii Episcopi debitâ reverentiâ. Partem vero decimarum, oblationum, testamentorum, & ceterorum reddituum ecclesiasticorum per vestrum Episcopatum secundum statuta Canonum vobis confirmamus, & ut nulla Ecclesia in eodem Episcopatu construatur, & constructa absque vestra licentia alicui subiciatur, interdicimus: salvâ nimirum in omnibus Apostolicæ Sedis justitiâ & auctoritate. Decernimus ergo, ut nulli omnino, &c. Si qua igitur, &c. Cunctis autem, &c. Amen.

EGO ANASTASIUS Catholicæ Ecclesie Episcopus is.

Ego Ugo Olfensis Episcopus is.

Ego G. G. Presb. Card. S. Callisti.

Ego Guido Presbyter Cardinalis sancti Chrysoni subsc.

Ego Manfredus Presbyter Cardinalis sancte Sabine subsc.

Ego Aribertus Presbyter Cardinalis sancte Anastasie subsc.

Ego Julius Presb. Card. tit. S. Marcelli.

Ego Ubaldu Presb. Card. tit. S. Crucis in Hierusalem subscipfi.

Ego Astaldus Presbyter Cardinalis tit. sancte Priscæ subsc.

Ego Joannes Presbyter. Card. tit. SS. Joannis & Pauli tit. Pammachii subsc.

Ego Joannes Presbyter Card. tit. sancti Silvestri & Martini subsc.

Ego Otto Diac. Card. S. Georgii ad Velum aureum subscipfi.

Ego Martinus Diac. Card. sancte Marie in Cosmedin subsc.

Ego Joannes Diaconus Cardin. SS. Sergii & Bacchi subsc.

Datum Laterani per manum Rolandi sancte Romanæ Ecclesie Presb. Card. & Cancellarii, II. Kal. Jan. Indict. II. Incarnationis Dominicæ anno MCLIII. Pont. D. Anastasii Pape IV. anno I.